

ORATIONES

DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS

Indulgentia centum dierum pro singulis orationibus. Pius Pp. XII, 14 ianuarii 1940. (Concordat cum MR 1962.)

Cum lavat manus, dicat:

Da, Dómine, virtútem má-nibus meis ad abstergén-dam omnem máculam; ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi ser-víre.

Ad amictum, dum ponitur super caput, dicat:

Impóne, Dómine, cápiti meo gáleam salútis, ad expugnándos diabólicos incúrsus.

Ad albam, cum ea induitur:

Deálba me, Dómine, et munda cor meum; ut, in Sáanguine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar sempitér-nis.

Ad cingulum, dum se cingit:

Præcínge me, Dómine, cíngulo puritátis, et extín-gue in lumbis meis humó-rem libídinis; ut máneat in

me virtus continétiæ et castitátis.

Ad manipulum, dum imponitur bracchio sinistro:

Mérear, Dómine, portáre manípulum fletus et doló-ris; ut cum exultatióne recípiam mercédem labóris.

Ad stolam, dum imponitur collo:

Redde mihi, Dómine, sto-lam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et, quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitér-num.

Ad casulam, cum assumitur:

Dómine, qui dixísti: Iu-gum meum suáve est et onus meum leve: fac, ut istud portáre sic váleam, quod cónsequar tuam grá-tiam. Amen.